

Taubmann. axiomate

approbatum semel reprobari non potest 148. §3  
quod semel primum anglicis displicere non debet 129. num. 7.

1 Ta  
2 So  
3 So  
4 Ta  
5 Ma  
6 Ke  
7 Ey  
8 do  
9 Wa  
10 No  
11 No  
12 No  
13 No  
14 Es  
15 Ba  
16 St  
17 Ra  
18 No  
19 No  
20 No  
21 No  
22 No  
23 No  
24 No  
25 No  
26 No  
27 No  
28 No  
29 No  
30 No  
31 No  
32 No  
33 No

L. 9  
M. 6 10



2291

80

Q. D. V. B!

De

# POLITIA

constituendâ pariter ac conservandâ,

*In Electorali ad Albim*

PRÆSIDE

## M. ADAMO EZLERO,

*publicè disputabit*

*ad. d. 23. Junj A. C. clō Is c LII.*

### BENEDICTUS SEXVS

*Wittebergensis.*

---

Ex Officina Typographica Johannis Röhneri.

D. D. D.

21

*[Handwritten signature]*



Alumnorum Electoral. Saxonorum in in-  
cluta Witteberga gravissimis Ephoris,

V I R I S

*Plurimum Reverendis, Amplissimis ac Excellentissimis*

DN. ABRAHAMO CALOVIO, S.S. Theol.  
D. ac P. P. Consistorii item Ecclesiastici Assessori, & Circuli E-  
lectoral. Saxon. Superintendenti generalissimo.

DN. JOHANNI MEISNERO, S.S. Theol. D.  
& P. P. ejusdemque Collegii pro tempore Decano spectatif-  
simo.

DN. AUGUSTO BUCHNERO, Poes: ac e-  
loquentiæ P. P. eidemq; incomparabili, ut & Collegii Philoso-  
phici atque totius Academiae Seniori venerando.

Nec non

AMPLISSIMO VIRO

DN. BENEDICTO Straußen / Ser: El: Sax.  
Quæsturæ, quæ hîc est, Præfecto, Patri optimè merito charissi-  
moq; suo, semper honorando.

Sic &

AMPLISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO VIRO

DN. JOHAN-ERICO OSTERMANNO,  
Græcarum literarum P. P. celeberrimo, Adfini suo & studio-  
rum Promotori observanter colendo,

Specimen hoc industriæ Philosophicæ primum-  
publicum, observantiæ & honoris debiti causa

D. D. D.

*Clarissimi ipsorum Nominis devotissimus  
cultor*

Benedictus Strauß.



I. N. 7.

Cum corrumpi putetur Imperium, ex præclara Taciti sententiâ, ubi multis in id inquirere licet, factum est, ut suo nunquam destitueretur calculo Sallustii ad Liviam monitum, non constare meliùs imperandi rationem, quàm uni si reddatur. Neq; nobis per calcatum regis sanguinem concedere adversas in partes volupe est, quibus ad divinitatem nihil videtur accedere propius, quàm cum unus admoderatur imperii habenas. Id verò negari simul haut potest, regio adsuetam scepro non esse terram omnem, nec omnem ubiq; populum unius stare arbitrio velle aut cadere. Speciosum est ac dulce Libertatis & æqualitatis nomen, quod populari imperio dum prætextitur, capit homines facile & tenet, ut exploso singulari regimine, rerum summam multis concedant. Hinc plebi decernitur honor, qui ad optimos spectat, & exturbatur velut intolerabile Principis solium, quod devotissimo animi cultu ad unum omnes adorabant antè. Quo semper successu tentatum hoc sit, aut tentetur hodie, non disquiremus ex hoc loco. Sufficit nobis, quod invaluerit dudum res in observationis politicæ usum, quam dissertationis nostræ constituimus hâc vice argumentum. Ad cuius pertractationem citra ambages nos accingimus nunc, sed cum voto, ut felix ac faustum esse jubeat DEUS!

THES. I.

Uo in antecessum excutere operæ pretium est, quorum unum nomen, alterum rem ipsam concernit. *Politiam* indigitamus eam reipubl. speciem, de quâ dicturi sumus, non laxiori isto sensu, quo ordinem notat cujuscunq; cœtus in hominum societate; sed qui in populari obtinet imperio, eoq; justo ac recto. Aliis placet *liberam* appellare *civitatem*, *libera* item *Civitatis statum*, *Rempublicam*, aut etiam *Democratiam*.



De quibus postremum non admittimus eo significato quo Politia nostrâ vel latius est vel Eidem tanquam labes & aberratio solet opponi.

II. Circa rem illud expendendum ante omnia, num in censam Rerumpubl. & bonarum quidem referri mereat Politia. Sunt quibus cum Platone Aristoteles negotium facessit, quorû hic popularem statum omnem vitiosum, ille inter bonos pessimum, inter pravos optimum asserat. Sed, quicquid de interpretatione, quam menti tantorum Virorum adversam faciunt prorsus, quicquid etiam sit de difficultatibus, quibus implicitam hanc formam non negamus simpliciter, certum nobis est ac indubitatum, recte referri Politiam in numerum Rerumpubl. rectarum. Potest quippe & hoc ordine derivari salus publica per imperantium sollicitudinem in singulos; quod factum est olim, & fit hodiè alicubi non sine Civitatis incremento.

III. Quod si accidat non raro per hominum malitiam, ut sicut cæterarum rerumpubl. rectarum, sic & hujus excellentiam optare potius, quam invenire liceat in terris: sufficiet tamen ad hujus Philosophiæ usum, ut ea velut meta ponatur, quam quò attingant propius respubl. eò æstimentur meliores; deteriores verò habeantur, quæ ab hoc scopo quam longissime aberrant.

IV. Quibus præmissis ita delineamus Politiam, ut dicamus esse *Rempublicam simplicem, in quâ summa potestas penes populum est, bonum publicum spectantem*. Quod ut intelligatur plenius, conabimur præstare per ea, quæ de constitutione pariter ac administratione hujus Reipubl. subjiciemus.

V. In constituenda Politia operam navare oportebit iis, quæ ad Trojam hanc ædificandam concurrunt, & quæ civitati huic præbent originem. Non errabimus autem vehementer, si Naturæ adscribemus primum. Cum enim ex instinctu naturæ conjungerent ædes suas æquè ac vires propulsandorum communiter malorum causâ homines, id consentaneum naturæ quoq; videbatur, æqualiter partiri operas, & æquali simul frui dignitatis pretio.

VI. Atq;

2245.  
VI. Atq; hoc ferè tantò lubentius, postquam factum unius ac crudelitatem experti per indignitatis non unius tolerantiam didicerant, quàm sit difficile pendere ex arbitrio unius, ejusque ductum atq; auctoritatem tanquam oraculum vereri. Factum indè non rarò ut à regni alicujus lapsu ac conversione initium poneretur & fundamentum Politiaè. Præcipuè cum vel belli aut alio acquisitionis jure ac titulo potestatem caperet populus in alios ac sibi subjiceret, non aliam, quàm quàm ipse gauderet, formam in subactas civitates introduxit. Viguit ita sub Atheniensium auspiciis & fortunâ, Democratia, pro quâ Oligarchiam firmabant Lacedæmonii, quos suos & in devictis gentibus delectabat status.

VII. Nec illicitum hoc Monarchis aut uno pluribus Imperantium est, ad Libertatem ita & omnium arbitria revocare rerum summam ac novam Politiam condere; Sed si populus alterius dominio jam subjectus, veteris ac approbati per tempus imperii exosus in laxitatem vindicare se & ad arbitrium suum revocare Majestatis jura tentaret, id foret tantum, quod approbari à nobis haut posset. Quanquam enim jucundum Libertatis vocabulum, potior esse tamen debebat obsequii gloria, quæ una relicta omnibus est, qui subjectos alterius voluntati se agnoverunt semel. Invalescunt sæpè vitia Regum & tantum nò in tyrannidem excrefcunt; nò tamen agnoscunt tribunal inter suos, ad cujus rigorem examinentur, & ex vesana plebis lubitu puniantur. Quæ licet parum grata videantur popularibus animis & sceptri regalis hostibus, certa tamen sunt, & quæ adversus omnes secus sentientium minas ac machinàs stant inconcussa.

VIII. Aperuimus portam per quam ingredi liceat ad imperium politicum universis, nunc videndum etiam de potestate quam habeant ingressi, & administrationis, cui insistere debeant, ratione. Non minorem verò tribuimus Populo nostro potestatem, ullâ ex parte, quam quæ Regis in regno, aut Optimatum in Aristocratiâ esse solet, verbo summam. Rempubl. enim dicere, & potestatis plenitudinem non concedere, est destruere unâ manu, quod dederis alterâ. Potestas character Imperii est, quo nullus uspiam certior.

IX. Describitur hæc alibi per partes & jura sua, ferendi nempe leges, constituendi Magistratus, cudendi monetam, inferendi & componendi bella, & id genus alia. Omnia hæc sive in profanis versentur sive circa sacrorum dispositionem sint occupata, residere penes universos dicimus; nec attrecta. ni à privatis aut singulis, nisi ex istorum consensu, possunt impunè.

X. Incongruum verò videtur multis, ad universos, & eos indivisim spectatos collocare potestatem omnem, cum futuri hæc ratione non sint, qui parentium subeant partes. Turbato autem & sublato ordine hoc, qui inter imperantes & subditos est, nè cogitari quidem posse rempubl. Verum desinant mirari in re facili & expedita satis. Sciendum, diversimodè se habere politicos cives, & aliter si conjunctim consideres, ac si seorsim. Conjunctim sumti plenissimè Majestatis jura possident, sed dum per quosdam eadem exercent, fit ut in distinctas eant classes, & ex iis capiant quidam summum rerum judicium, coram universi populi concilio tamen & ipsi, sicubi necessum fuerit, sistendi; cæteri interea obsequendi lege teneantur.

XI. Cæterum arbitrarii sunt, per quos ab universitate ad paucos devolvitur imperii moles. modi, ex quibus electio frequentata maximè, eaque per suffragia non tantum, sed & per sortes. Illud fortè, ut feliciter instituat Politiæ administratio per eos, qui digniores ad istam provinciam videntur; hoc plebis causâ, ne per o lium exclusum quenquam existimet. Atq; ita libertati, isto autem modo perpetuitati hujus Reip. consultum putant.

XII. Solet verò Electio isthæc interdum liberior esse, interdum adstrictior. Liberioris argumentum est, ubi omnibus promiscuè patet aditus ad magistratum, non habitâ ratione qualitatis ad tale munus requisitæ. Secus se habet alter electionis modus, ubi ex omni quidem ordine popularium leguntur Magistratus, sed ita ut major habeatur ratio personarum idonearum, quod ajunt in Belgio fieri hodiè.

XIII.



2297.  
XIII. Idonei autem præ cæteris erunt in republ. qui aman-  
tes sint patriæ non tantum, sed præcipuè hujus formæ. Qua-  
lem Servilium, T. Quintrium, Menenium, Virginium & alios  
laudat historia. Unde & peregrinis hîc loci non facilis acces-  
sus, & qui alienis & à popularis ingenii oppidò diversis mori-  
bus pollent. Non enim hic adfectus ille viget, quo inquil-  
nos Patriæ suæ obstrinxit à teneris natura. Absint igitur Clau-  
dii, habeant alibi res suas Furii, & Manlii, qui cætera optimi  
& incomparabiles Viri, modò in liberâ republ. vivere eis con-  
tingeret nunquam.

XIV. Id verò & ex usu publico hîc fuerit, si secundum  
leges administranda concedatur magistratibus republ. & ad  
tempus. Vincula Civitatis leges sunt, sine quibus nulla con-  
tineri societas potest, eò sanctius habenda ibi, ubi intra limi-  
tes suos se continere debet potestas, non sine detrimento uni-  
versorum liberius justo dominari ausura. Fas etenim ut ad  
Civitatis præscriptum componat se, qui ab eâ inter æquales  
suos illustrior factus, ut saluti consulatur communi, non glo-  
riæ inani aut domesticæ utilitati.

XV. Temporariam præterea volumus dignitatem istam,  
ut per vices & imperent omnes & pareant, quod libertatis est  
argumentum. Declinabitur hâc ratione invidia, certo certius  
emersura, ubi à functione splendidiori abarcerentur nonnul-  
li; & præcavebitur pariter, nè quis ex diuturniore perpetuam  
sibi ac propriam faciat potestatem. Vix enim est quicquam,  
quod inimicum adeò sit Politico regimini, quàm administratio-  
nis perpetuitas, præcipuè si penes Cæsares aut Pompejos sit ar-  
bitrium rerum. Non ergò longa sit uni dominatio, aut in eas  
reip. partes, quæ cum potentia armatæ, nisi fortè turbatus  
Patriæ status poscat hoc, ubi Dictatore opus est sæpe, ac neces-  
sum, ut unum Imperii corpus unius animo regatur.

XVI. Ex quibus dignosci posse autumamus, quomodo ab  
uni9 aut uno plurium gubernatione discriminetur hæc impe-  
randi forma. id ostendendum quoque, quâ scilicet ratione à  
pravâ plebis dominatione, quam Democratiam vocant, abeat,  
quod ex notatione finis optimè licebit colligere. Omnium  
hic

hic & ita totius Civitatis utilitas est, quæ & suprema lex, à quâ recedendum gubernatoribus politix nevitquam, esse perpetuò debet.

XVII. Quæ etsi non uno promoveri possit modò, quos omnes determinare hic non licet, & ejus præcipuè est, qui ad clavum sedet, in omnes amplificandæ salutis publicæ occasiones intentus; tamen feliciter satis habebunt omnia, si æqualitas servetur illibata, & suus libertati constet honos, quæ fulcra hujus reipubl. dixerimus non malè.

XVIII. Æquam hîc volumus omnium conditionem, non qualem Lycurgus olim, cujus illustre in græcâ historiâ nomen est, intendebat nequicquam, ad interitum propè perducens Rempubl. Spartanam, æquatione honorum; & tentavit eodem fere successu Phaleas. Quis enim invideat felicitatem iis, quibus & fixit de meliore luto pectus & instruxit dotibus cœlum, ut prospicere non tantum sibi de vitæ instrumentis possint, sed & quæ ad splendorem faciunt, facili negotio parare? Quis interdicit jure donationes, aut præscribat certum procreandorum liberorum numerum? quod nisi fiat, æqualis ista honorum possessio non obtinebitur.

XIX. Rectius interpretabimur istam æqualitatem, de potestatis paritate, & animorum eadem volentium consensione. Tale nimirum & à Lactantio consilium æqualitatis inducendæ suppeditatur nobis. Qui vult, inquit, homines adæquare, non matrimonia, non opes subtrahere debet, sed arrogantiam, superbiam, tumorem, ut illi potentes & elati pares esse se etiam mendicissimis sciant. Detractâ enim divitibus insolentiâ & iniquitate nihil intererit, utrumne alii divites, alii pauperes, cum animi pares fuerint.

XX. Utut verò alibi sua eminentiori & ex arbitrio agere suetæ indoli dignitas sit; in nostrâ tamen civitate perit Ingenii sublimioris laus, etiam cum quid egregii ab eo præstitum est, quod vel ex Nepotis Miltiade constare potest. Paucis nempe honoribus afficiuntur facta ista, à quibus commodum æquè ac periculum, nisi cautè tractentur, & omnes opprimendæ æqualitatis causæ præscindantur. Secura quippè hæc esse

non



2249.  
non potest, nisi quando suis velut librata ponderibus in partem neutram præponderat, & æquo se jure complectitur.

XXI. Hæc mente latam Thebis existimo legem, quæ morte multabat, si quis imperium diutius retinisset, quam lege præfinitum erat. adversus quam cum admitteret quid Epaminondas, quatuor mensibus diutius, quam populus jussisset, gerens imperium, venire in judicium necesse habuit, non absque capitis periculo, nisi Eloquentiâ esset servatus, quâ nemo Thebanus ei par erat. Atq; hæc ipsissima causa est, ex quâ conferendam ad tempus Politicæ Præsidiibus dignitatem publicam censuimus supra. Imponit enim mortalibus fortuna, si indulgentior sit, & ad usus diuturniores concessa. Crescit simul cum eadem virtutis propriæ opinio, quæ publici oblita auspicii ad sui mensuram metitur omnia, & quâ vindicare debebat arte Patriam, præcipitat in exitium. Magna adeo, quod Livius habet, libertatis custodia est, si magna Imperia diuturna esse non sinas, & temporis modus imponatur, quibus juris non potest.

XXII. Mirum propterea non est, quod in hoc Civitatis genere licentiùs vivere nobilitati non permittatur. Æquis enim oculis adspiciunt raro plebis æquatam auctoritatem, quos eminentia generis supra aliorum sortem evexit. nec patiuntur contemni se facile, quibus paria civitatis beneficia. Hinc rixæ paratæ & lites per quas interitus mirum quantum acceleratur, quæ suffocandæ maturiùs paulò, & antequam in incendium prorumpant. De Argentoratensibus referunt, quod, cum fortè incendium oriatur, aut ob hostis incursum ad arma provolandum, universæ nobilitati interdictum sit, extra ædium munimentum conspici, aut in plateâ deprehendi. Quod & de Florentinis annotarunt alii. Ita enim lege promovenda erat tranquillitas civium, quæ quantum capit ipsa damni, tantum ad everisionem aut conversionem hujus status importat.

XXIII. Equidem non negamus prorsus, inter arcanas imperandi artes numeratum esse à Catone propositum serendi inter cives lites, ut explorarètur subditorum ingenia, in quâ deflectant

sediant partem, & quæ latebat ante animorum propensio, in apicum producat: aut etiam ut atterantur sua ipsorum vi potentiores in rep. Viri; sed dubito multum, num tentare idem hic liceat, ubi præstat paucissimas esse lites, & si fieri possit, planè nullas. Etenim seditiones & bella infestina componi sanè vix possunt, nisi Imperio ad unum devoluto, quod ex Romanæ reipubl. vicissitudinibus observavit Tacitus. Non licet verò pervidere, quæ salva ac integra esse possit universorum auctoritas postquam unius invaluit dominatio.

XXIV. Præclara sunt quæ in Argenide Barclajus habet: non est validius vinculum, quo Cives in officio contineantur, concordia subditorum. Ad quam conservandam debet Princeps summo studio & operanti, eoque majore incumbere industria, cum persentiscat factionum suscitabula expressè appetere salutem vitamque illius, qui est cum imperio. Quæ ut ad stabiliendam Principatus vim subjiciuntur rectè: ita non minori cum curâ habenda sunt in politica, in quâ discordiæ dolores sunt reipubl. parturientis magnam aliquod regnum.

XXV. Faciet autem ad concordiam Civitatis non parum, si crebrò instituantur conventus Civium, ubi de summâ rerum deliberetur. Qui temeritatis apud plebem invitamenta dicuntur alioquin non malè, sed extra nostram politiam, in quâ id præstant ut connectantur magis civium animi, qui omnia ex communi Consilio patrari vident.

XXVI. Quod si turbulenta adeò Capita nonnullorum fuerint, quibus compositis rebus spes nulla, omne verò in turbido consilium, juvabit sancire leges in litigatores, quibus coerceatur pessima rixandi libido. Vestigia legere fas est in antiquâ historia, quæ premere hodiè placuit Belgis fœderatis, qui multæ loco vectigal imposuère temerè litigantibus, ut corrigerent simul corruptos seculi mores & publicas ararii opes adaugerent.

XXVII. Præterea & à divitiis metuendas habet insidias Reipubl. nostræ æqualitas. Fastus inest opulentioribus & pecuniam sequitur superbia, inde nascitur contemptus, qui  
cum

2251  
eum inter pares toleratu difficilis sit, invidiæ causa est, & earum rerum per quas ad incitas redigitur respublica. Nam cum graviter inter se populus ac divites contendunt, quibus verbis Aristotelis locum illustrat Heinſius, ſive hi superiores abeant, ſive illi, non expectandum eſt, ut æqualitatis rationem in Republ. habere poſſint, aut ut in commune conſulant, vel medium ſectentur. Sibi enim utraq; pars vincit, ideoq; præmium non aliud exiſtunt victoriæ aut ſpectant, quam ut poteſtatem in ſe ac imperium quæcunq; ratione tranſferant ac modo. Ideoq; popularem alii, alii paucorum inducunt ſtatum.

XXVIII. Minus quidem patet aliorum fraus, ſed nocet tanto magis, qui auro ſibi emunt adfectum multorum, in totius reip. perniciem, & largitionibus effuſis libertatis oblivionem inducunt incauti, & in ſervitutem trahunt. Quo in genere præcallebat Caſar olim, qui publicè privatimq; nihil horum intermiſit, donec Curionis operâ adjutus libertati finem daret; quod Philippum antè & Piſiſtratum feciſſe quoq; memorant hiſtoriæ. Sed ut abſq; ſuſpicionem non eſt iſta Liberalitas in liberâ republ. ita ſub cenſum revocanda opulentia profuſa eſt, & incidendi nervi, quibus ad ſublimius faſtigium tranſitue. Poterit inde parari ſubſidium pro indigentioribus, qui omni etiam ſpe ſublevandi ſunt, nè neceſſitatis vi adacti ad novas res molientes animum applicent, & ad movendum ſtatum operas ſuas promptè conferant, eminere inſolentius cupientibus.

XXIX. Libertatem, de quâ tandem verborum aliquid faciendum, malè quis per peccandi licentiam interpretabitur, ex qua non dicat tantum, quæ velit quiſq; ſed & faciat. Hæc enim non boni ſed peſſimi & ad interitum ituri ſtatus foret ſpecies. In ipſâ autem libertate, è Platonis ſententiâ, utiliſſimum habetur, ab alieno arbitrio dependere, neq; omnia quæ facere libet, licere, quod nulla major peccandi illecebra, quàm peccati impunitas detur.

XXX.

XXX. Quare intactam vitiis libertatem & periculo servi-  
 tatis vacuam pronunciamus, quando nemini præcludunt adi-  
 tum ad fastigium, in quo agunt ipsi rerum arbitri, sed tradunt  
 aliis lampada, ubi tempus & leges monent: in iplo autem im-  
 perii curſu ita componunt ſe, ut nihil, niſi quod profuturum  
 publicè vident, audere præſumant. Modeſtiâ juxtim ac pru-  
 dentiâ contendentes in tantâ ſplendoris veneratione, ut re-  
 rum nobiliter geſtarum gloriâ & civitatis liberæ applauſu ab  
 imperio diſcedant. Admirandum hoc nomine Iphicratem  
 ſiſteremus aut Timoleonta aliquem placatis in ſe ſuorum ci-  
 vium animis ad ſenectutem progreſſos, niſi finienda hîc eſſet  
 Civilitatis delineatio. Summa dicendorum eſt, Libertatis  
 animam ac robur in legibus poſitam eſſe, quas ut ſimulatâ qui-  
 dem Oratione, ſed in liberam civitatem feliciffimo conſilio  
 ſanctè & cuſtoditè habendas monebat Auguſtus; ita ſalvis iis,  
 munitum tam probe ſtatum hunc aſſerimus, quem convellere  
 nemo audeat facilè vel poſſit.

Deo Gloria!



XXX



libri Studioforum in Musaeum collati, pro pignore non sunt pag. 1019.  
donata à Patre Studioforum causa Filio, non sunt post mortem Patris  
conferenda. pag. 1263. aliter in dote se habet.






00 A 64/14

ULB Halle

3


002 928 094



R

1017






num  
ESP  
Comm  
im te  
dum  
clare,  
lis. O  
ando  
autus  
vam d  
ola fa

On.R.  
Amica  
is nec  
ceps q  
More  
ulo co  
LGE  
ii testi  
ini Pr  
Serpet  
nes ex  
as ling

ишат,  
adis P  
s res e  
vires e  
u node  
o vince  
pulcrâ  
n dign  
scet, c  
a Prin

ndo an  
I



2241

80

Q. D. V. B!  
*De*  
**POLITIA**

constituendâ pariter ac conservandâ,  
*In Electorali ad Albim*

PRÆSIDE  
**M. ADAMO EZLERO,**

*publicè disputabit*  
*ad. d. 23. Junj A. C. clc Is c LII.*

**BENEDICTUS SEXVVS**  
*Wittebergensis.*

Ex Officina Typographica Johannis Röhneri.

21

*[Handwritten signature]*

